

1501 animi ægritudinem contraxerunt, quam tamen compendiis aliorum populorum solabantur. Simul & illud cogitabant, amabile profecto esse, novas regiones alterumque prope acquiri orbem, gentesque abditas atque sepolitas celebrari. Ac posteaquam hunc ad locum meorum me commentariorum cursus perduxit, non alienum esse arbitror, quod ejus rei omnium, quas ulla ætas unquam ab hominibus effectas vidit, maximæ atque pulcherrimæ fuerit initium; tum quæ terrarum portio post id, quæ ve gentes, & quibus moribus sint repertæ, quantum suscepit operis ratio permittet, breviter dicere.

*Novi orbis
per Colum-
bum dete-
ctio.*

Erat Columbus homo Ligur ingenio peracri, qui multas emensus regiones, multum maris & oceani perlustraverat. is, ut est humanus animus novarum rerum appetens, Ferdinando & Habellæ Hispaniæ regibus proponit, edocetque: *Illud, quod omnis fere antiquitas credidit, quinque esse cœli partes, quarum media caloribus, extre- mæ duæ frigoribus sic afficiantur, ut quæ sub illis sint totidem terra plaga, incoli ab hominibus non possint; duæ tantum inter eas sub eisdem positæ cœli partibus possint: inanem esse antiquorum hominum fabulam & nullis veris rationibus fultam, & confirmatam descriptionem. improvi- dum prope necesse esse haberri Deum, si ita mundum sit fa- bricatus, ut longe major terrarum pars propter nimiam in- temperiem hominibus vacua, nullum ex se se usum præbeat. globum esse terræ hunc ejusmodi, ut commeandi per omnes ejus partes facultas hominibus ne desit. cur sub media cœli conversione degi non possit, ubi diei calor cum noctis fri- gore pari dimendo utriusque moræ spatio temperetur? præser- tim cum tam cito sol in alterutram declinet partem: cum- que sub iis cœli conversionibus, in quibus nostro vertici pro- prior longinquam sol moram trahit, tamen degatur? algen- tes sub septentrionalibus esse terras, sed eas hominibus non defici. sic sub australi terras esse frigidas vertice, esse ani- mantium atque hominum genus. quem Oceanum scriptores appellarint, eum non esse inertis magnitudinis, sed insulis atque terris scatere, quas homines inhabitent: itaque vi- gere*